



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manna Animæ Sev Exercitium Facile Simul Et Fructuosum Illis, Qui Quoquo Modo Vacare Orationi Desiderant

Segneri, Paolo

Dilingæ, 1699

XI. Et si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua Domine, in nihilum computabitur. Sap. 9. 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48281)

XI.

Et si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo absuerit sapientia tua Domine, in nihilum computabitur. Sap. 9.6.

1. Considera, quanta sit tot hominum vanitas, qui tantopere insudant omnibus alijs aquirendis dotibus eâ solâ exceptâ, quæ momenti est maximi. Quot scholæ semper parent discendis artibus cantandi, equitandi, digladiandi, & omnes eò properant. Quis est, qui currat ad aliquam, in quâ unicè doceatur sanctus DEI timor? & tamen hæc demum est vera sapientia. Quia vera sapientia est nôsse dirigere actiones suas ad ultimum finem. Hac quisquis caret, quantumvis cetera consummatus inter filios hominum, nihil valet: *In nihilum computabitur.*

2. Considera, non dici absolute; *in nihilum computabitur*, qui possidebit dotes modò recensitas, sed qui eas possidebit absque timore DEI sancto: *si absuerit sapientia Domini.* Nam alioquin illæ ipsæ dotes obtineri cum merito possunt. Ecce igitur regulam statuendi, quales sint illæ artes, illa munia, illæ curæ, quibus impendendus est labor, illæ scilicet, quibus

juxta conditionem statûs facillè Divinam hanc sapientiam possis copulare. Illas verò, quæ istam societatem respiciunt, omite.

3. Considera de eo, qui hac Divinâ destitutus est sapientiâ, absolute dici: *In nihilum computabitur*, ut intelligas, qualis sit moneta, cujus in cælo est usus. Quæ autem illic æstimatio de militari virtute Alexandri, de elegantia Cæsaris, de eloquentia Ciceronis, vel astucia Politicâ Tiberij? *in nihilum computabitur.* Unum mendicabulum, quale erat Lazarus, idiota, luridus, lacer, ulceribus plenus pluris fit, quàm grandes illi omnes simul juncti. Credisne hanc veritatem? Unde igitur est, quòd opere non exerceas? Una stipula, quam de terrâ levas ex amore DEI, una scutella, quam eluis, unum probrum, quod toleras, unus actus etiam minimus mortificationis, humilitatis, obedientiæ, charitatis plus æstimationis in cælo tibi conciliat, quàm si Plato aliquis exritisses.

XII.

Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quarent intrare, & non poterunt. Luc. 13. 24.

1. Considera, non adeò facile esse caditum paradisi, ac nonnulli sibi fingunt. Hoc opus, hic labor est. *Contendite*, inquit Christus. Equis igitur sustinendus conflictus? ille, qui esse solet inter sensum & spiritum.

Sensus cuperet non intrare per portam tam angustam, qualis est mortificationis, humilitatis, obedientiæ, penitentia. Spiritus agnoscit necessarium esse, ut per eam intres, cum per eandem ipse Christus intraverit. Atque